



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Hominem à Deo conditum esse, in eo statu, vt neq[ue] morbum,  
neq[ue] mortem pati debuisset, si no[n] peccasset.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

perent, neq; tectis, neq; vestibus indigerent. quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metuerent; quorum vis in eo est, ut morbos afferant? Idcirco enim accepit sapientiam, ut aduersus nocentia fragilitatem suam munit. Sequitur necessario, ut quoniam retinenda rationis causa morbos capit; etiam mortem semper accipiat; quia is, ad quem morbus non venit, firmus sit, necesse est; infirmitas autem habet in se mortis condicionem; firmitas verò, ubi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors, qua sequitur senectutem. Præterea, si mors certa constituta esset ætati, fieret homo insolentissimus, & humanitate omnino careret. Nam fere jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu & conscientia fragilitatis oriuntur. Deniq; imbecilliora, & timidiora quæq; animalia congregantur; ut quoniam viribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur: fortiora verò solitudines appetunt, quoniam robore viribusq; confidunt. Homo quoq; si eodem modo haberet ad propulsanda pericula suppetens robur; nec vllius alterius auxilio indigeret: qua societas esset? qua reuerentia inter se? quis ordo? qua ratio? qua humanitas? aut quid esset deterius hominè? quid efferatius? quid immanius? Sed quoniam imbecillus est, nec per se potest sine homine vivere; societatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat, & tutior. Vides igitur, omnem hominis rationem in eo vel maxime statui, quod nudus fragilisq; nascitur, quod morbis afficitur, quod immatura morte multatur. Quæ si homini detrahantur; rationem quoque ac sapientiam detrabi, necesse est.

## CAPVT XVII.

Tertiam morborum causam, esse peccatum Adami, ob id, à DEO immortalitate gratuita priuati.

I.



Atis fuisset ægroto consolando, scire, hanc esse sortem naturæ, qua contenta sunt, aut esse debent etiam cetera animalia; & tamen Deus ad eum erga hominem fuit liberalis, ut quando eum ab initio condidit, eum etiam supra ipsam naturam euexerit; donauit enim eum iustitia originali, & à morte eum, cui ex natura sua debebatur, exemit, suppeditato mirabili & contra morbos, & contra interitum remedio. Nam primum hominem, non solum in loco saluberrimo & amoenissimo

Sicut Paradisi voluit degere, verum etiam produxit de humo omne  
 lignum pulchrum visis, & ad vescendum suave: lignum etiam vite in  
 medio Paradisi. Eam arborem vitæ nonnulli volunt, ab extrin-  
 seco, & supernaturali quodam Dei munere habuisse vim præ-  
 seruandi hominem ab interitu; alij verosimilius docent, id ex vi  
 propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ medicam illam arborem  
 præstare potuisse. Et sanè sunt, qui asserant cum D. Chrysostomo  
 & alijs, arbori illi vim inditam ad hominem perpetuò à morte  
 naturali conseruandum; cum idcirco Adamus fuerit de Paradiso  
 ejectus, ne forte mitteret manum suam, & sumeret etiam de ligno  
 vite, & comederet, & viueret in æternum. Si enim fructus ille ha-  
 buit naturalem facultatem refouendi calorem naturalem, & hu-  
 midum radicale restaurandi, in ea perfectione, quæ reperiri so-  
 let, in statu hominis perfecti, necessariò dandum videretur, semper  
 Adami corpus reflorescere, & ad eò in æternum viuere potuisse,  
 quotiescumque ex ea arbore manducauisset. Nec huic sententiæ,  
 quo ad rem, aduersatur B. Thomas & alij, qui tradunt, arbori  
 vitæ vim datam à Deo, tantum ad valde longum tempus vitæ hu-  
 manæ conseruandæ. Quod eo sensu accipiendum est, quia Deus  
 non posuit hominem in Paradiso terrestri, vt ibi æternum ma-  
 neret, sed potius, vt aliquando ipsum, sine obitu (id est, eo mo-  
 do, quo exoptare videbatur Apostolus illis verbis: *Nolumus ex-  
 poliari, sed superuolari*) de terrestri ad cælestem Paradisum, eum  
 transferret, in quo amplius ad immortalitatem conseruandam,  
 non egeret edere de ligno vitæ. Quare fructus illius ligni, vim  
 habuit conseruandi hominem, donec Deo placeret ipsum ad  
 Beatorum vitam in cælum transferre; ita tamen, vt si eidem Deo  
 placuisset, Adamum in Paradiso terrestri perpetuò degere, po-  
 tuisset ibidem esse dictæ arboris, in æternum ab omni senio, &  
 naturali carnis defectu incolumis præseruari. Ea autem vis non  
 in Adamo tantum, sed etiam in omnibus Adami posteris valuisset,  
 donec & illos, successione quadam, ad cælestem vitam, sine vllò  
 morbo & morte, Dominus transfuisset, nisi hanc tantam felici-  
 tatem peccatum euertisset; quæ ne euertiretur, tam disertè  
 præmonuit Deus, præcepitque: *Ex omni ligno Paradisi comeda:*  
*de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque enim*  
*die comederis ex eo, morte morieris.*

Gen. 2. 9.  
S. Chrys.  
hom. 18. in  
Genes.

Gen. 3. 22.

S. Thom. 1. p.  
q. 97. art. 4.  
Scot in 2. sent.  
dist. 19. q. 1.

2. Cor. c. 5. 4.

Gen. 2. 16.

Cui